



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. Præcognitiones ad acquirendam scientiam necessariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

petitus elicited est actus desiderij elicited à facultate appetitiva.

Obiici adhuc posset Salomon, qui creatas omnes scientias habuisse dicitur; sed si habuit, non naturæ viribus, sed per diuinæ gratiæ auxilium id assequutus est.

S. III.

Quotuplex sit demonstratio.

Aliæ plures scientiæ diuisiones afferri possunt, quas in speciali tractatu de scientia habituali persequemur. Nunc pro demonstratione, in qua ve sumus.

Demonstrationis diuissio.

Dico tertio. Bene diuiditur demonstratio adæquate in demonstrationem à priori, quæ vocatur *propter quid*; & à posteriori, quæ vocatur demonstratio *quia*. Demonstratio *propter quid*, illa vocatur, cuius medium terminus est causa prædicati conclusionis. Demonstratio verò *quia*, est illa, cuius medium non est causa, saltem immediata, prædicati conclusionis.

Ratio.

Ratio est, quia illa est vera demonstratio, quæ procedit ex medio necessariam habente connexionem, & notiori secundum nos: sed demonstratio *propter quid*, & demonstratio *quia*, sunt eiusmodi effectus enim habet necessariam connexionem cum causa, & notior nobis est quàm causa, quæ sæpe obscura est. Causa item necessariam habet connexionem cum effectû, & est notior secundum naturam: ergo, &c.

Quod autem illa diuissio sit adæquata, ratio est quia omne medium demonstrationis, vel est causa, & facit demonstrationem à priori; vel non est causa, & facit demonstrationem à posteriori.

Obiectio prima, & eius responsio.

Neque dicas primò. Ille syllogismus non est demonstratio, qui non procedit ex præmissis necessariis: sed demonstratio *quia*, non procedit ex præmissis necessariis; effectus enim, cuius ignoratur causa, non est medium necessarium: ergo demonstratio *quia*, non est demonstratio. Confirmatur, quia illæ demonstrationes non differunt specie; eadem enim conclusio potest demonstrari per causam, & effectum. Nego enim minorem, quia quamuis non cognoscatur causa talis effectus, experientia tamen, & sensibus potest nobis ille esse infallibiliter notus; atque ita potest esse medium veræ demonstrationis, prout cognitus sensu, & experientia.

Ad confirmationem nego illas demonstrationes non differre specie; nam eadem conclusio formalis non potest demonstrari per causam, & effectum, sed tantum eadem conclusio materialis.

Secunda, & eius solutio.

Neque dicas secundò, in hac demonstratione non contineri demonstrationem, quæ cognoscitur an sit, simul & propter quid sit; neque illam, quæ est à causa immediata non cognita ut causa; neque demonstrationem ab effectû ad effectum, siue à concomitanti, v.g. cum flexibile demonstratur per risibile, cuius nec est effectus, nec causa. Denique nec demonstrationem, quæ deducit ad impossibile.

Resp. enim illas omnes demonstrationes esse vel à priori, vel à posteriori; nam demonstratio à posteriori non illa est, cuius medium est verus effectus, sed cuius medium non est causa. Primò igitur demonstratio quæ cognoscitur an sit, & propter quid sit, est vera demonstratio à priori; procedit enim per causam. Secundò illa quæ est à causa non cognita ut causa, licet secundum se sit à priori, simpliciter tamen dicenda est à posteriori, quia respectu nostri perinde se habet causa non cognita

ut causa, ac si non esset causa. Tertio demonstratio à concomitanti est à posteriori, sicut demonstratio quæ ducit ad impossibile, si id, ex quo procedit argumentum, non sit causa; si autem id, ex quo procedit argumentum, sit causa, hæc demonstratio erit à priori, quamquam verius est, Aristotelem loquentum hoc loco non esse de demonstratione, quæ ducit ad impossibile, sed de illa tantum, quæ ostensua est.

Celeberrima enim est diuissio demonstrationis in eam, quæ ducit ad impossibile, & ostensua. Ostensua illa est, quæ propositionem aliquam demonstramus, per sua principia ipsam inferendo. Demonstratio ducens ad impossibile est cum propositionem aliquam veram esse probamus, ostendentes eius oppositam esse falsam, quod fit sumendo oppositum propositionis negatæ cum altera præmissa euidenter vera, unde inferatur conclusio falsa; ut si probandum mihi sit, nullum hominem esse irrationalem, sic dicam: *Omnis homo est irrationalis: omne animal rationale est homo: ergo omne rationale est irrationale. Atqui nullum rationale est irrationale: ergo nullus homo est irrationalis.* Hactenus essentia, existentia, & diuissio demonstrationis.

Celeberrima demonstrationis diuissio.

SECTIO II.

Præcognitiones ad acquirendam scientiam necessaria.

Explicata demonstrationis existentia, & quiditate, sequitur ut explicemus modum, quo ab homine acquiritur; quod ut præstem,

Dico primò. Axioma illud Aristotelicum verissimum est: *Omnis disciplina discursiva, & omnis doctrina sit ex præexistente cognitione.* Cuius geminus sensus ille est. Omnis cognitio, quæ ratione, & discursu habetur, sit ex aliquo alio iudicio antecedenti; quod iudicium antecedens sunt vel præmissæ syllogismi, vel principia nota ex terminis, vel antecedens, ex quo inferitur aliquid consequens. Vnde colligis, omnem scientiam acquiri per aliquam præcognitionem, de qua

Axioma Arist. verum.

Dico secundò. Præcognitio est cognitio præcedens aliam tanquam causam, vel dispositio illius; nam tripliciter potest cognitio vna aliam antecedere. Primò ita ut præparet ad illam; sic cognitio sensitiua antecedit intellectiuam præparando viam intellectui, ut possit cognoscere. Secundò ita ut dirigat; sic cognitio prædicati, & subiecti antecedit enunciationem, & illam dirigit. Tertio ita ut illam causet, sicut præmissæ causant conclusionem, & cognitio earum vocatur propriè præcognitio, de qua hic loquimur.

Præcognitio quid sit.

Dico tertio. Quatuor sunt præcognitiones, quæ de re qualibet esse possunt: Quid nominis, An sit, Quid sit, Qualis sit.

Quatuor sunt præcognitiones.

Obserua, quinque de re qualibet sciri & queri posse. Primum est, quid nominis, id est, quid significet eius nomen. Secundò, an sit, id est, an sit res vera, an ficta; non enim queritur solum de existentia actuali, sed etiam de possibili. Tertio quid sit, id est, quam essentiam habeat, quanam eius natura sit, quanam definitio, partes essentielles, &c. Quarto, qualis sit, quanam sint eius proprietates, & attributa, quæ accidentia, &c. Quintò propter quid sit, quem finem habeat, à quo agente producta sit, &c. Illæ autem quæstiones sic se habent, ut præcedens respectu sequentis dicatur præcognitio; & sequens respectu præcedentis dicatur quæstio: atque ita *quid nominis*, nunquam est quæstio

Quinque de qualibet re sciri & queri possunt.

fio; & propter quid, nunquam est præcognitio: unde fit ut sint quatuor præcognitiones, Quid nominis, An res sit, Quid sit, Qualis sit; & quatuor quæstiones propriè dictæ, An res sit, Quid sit, Qualis sit, Propter quid sit.

Præcognita quid sint.

Dico quartò. Præcognita illa sunt, quorum cognitio prærequiritur ad discursum; & hæc sunt tria, prædicatum, subiectum, & præmissa.

Probat.

Ratio est, quia non potest aliquid demonstrari, nisi sciatur quid significet prædicatum, quid subiectum quæstionis; & sic duo sunt præcognita, prædicatum & subiectum: & nisi sciatur, quid significet medium, eiusque connexio cum utroque extremo; & hoc est tertium præcognitum, scilicet præmissa: ergo tria sunt præcognita, prædicatum, subiectum, & præmissa.

Obiectio & eius solutio.

Neque dicas primò. Tot sunt præcognita, quot sunt præcognitiones; sicut quot sunt albedines, tot sunt alba: sed quatuor sunt præcognitiones: ergo quatuor præcognita. Distinguo maiorem. Tot sunt præcognita formaliter sumpta, quot sunt præcognitiones, concedo maiorem; tot sunt præcognita materialiter sumpta, nego maiorem. Præcognita formaliter voco ea, quæ præcognoscuntur; & de his non hic quæritur. Præcognita materialiter voco ea de quibus aliquid præcognoscitur, & hæc assero esse tria.

Obiectio 2. & eius solutio.

Neque dicas secundò. Medius terminus non minus debet esse præcognitum distinctum à præmissis, quàm prædicatum & subiectum: sed prædicatum, & subiectum sunt præcognita distincta à præmissis: ergo & medium. Nego enim maiorem, quia medius terminus non debet præcognosci extra præmissas; prædicatum autem, & subiectum debent præcognosci extra præmissas, quatenus sunt partes quæstionis. Si autem vrgeas, vim illarum debere præcognosci, atque adeò plura esse præcognita, quàm tria. Respondeo, nos hic solum agere de præcognitis, quæ se tenent ex parte materiæ, non autem de præcognitis, quæ se tenent ex parte formæ, sicut vis illatiua: connexio autem prædicati & subiecti non est præcognitio, sed quæstio, & finis demonstrationis.

Obiectio 3. & eius solutio.

Neque dicas tertio, axiomata, seu propositiones vniuersalissimas, sub quibus continentur præmissæ particulares, debere necessariò præcognosci, ut infallibilis sit conclusio: ergo plura erunt præcognita, quàm tria. Nego enim antecedens, quia in ordine ad conclusionem non est necesse actu cognoscere propositiones illas vniuersales, sed tantum in ordine ad discursum, quo probentur illæ præmissæ, in quo hæc axiomata erunt præcognita, quia erunt præmissæ.

De subiecto quid debeat præcognosci.

Dico quintò. De subiecto debet necessariò præcognosci quid nominis, & communiter, an sit; id est, an sit ens verum, an fictum. Ratio est, quia non potest cognosci proprietas alicuius rei, nisi sciam, quid significet illa res, & illam non esse aliquid fictum: ergo de subiecto debet præcognosci quid nominis, & an sit, nisi demonstretur possibilitas alicuius rei; tunc enim satis est præcognosci quid nominis; non nego tamen aliquando debere præcognosci quid sit, quando proprietas per definitionem probatur; sed dixi quod communiter necessarium est ad omnem demonstrationem de subiecto præcognosci.

De prædicato quid.

De prædicato, vt est secundum præcognitum, debet necessariò præcognosci quid nominis, quia de eo cognoscitur in conclusione, an sit. De præmissis debet præcognosci quid nominis, & an sint verè, quia propter illas assentimur veritati conclu-

sionis: ergo illæ debent præcognosci verè, & multò magis quid significant.

Dico sextò. Dux tantum præcognitiones vniuersaliter ad omnem discursum sunt necessariae, quid nominis, & an sit. Aliæ verò quamuis ad aliquem discursum possint esse necessariae, non sunt tamen necessariae ad omnem discursum.

Ratio manifesta est, quia multæ sunt demonstrationes, in quibus de subiecto, prædicato, & præmissis debet solum præcognosci, quid nominis, & an sit, vt patet ex conclusione quinta.

Dux præcognitiones necessariae.

Probat.

SECTIO III.

De subiecto scientiæ, & demonstrationis.

Obiectum scientiæ aliud est complexum, & est conclusio tota demonstrationis obiectiue sumpta: aliud incomplexum, & est minus extremum conclusionis demonstratiuæ, soletque appellari magis propriè subiectum scientiæ, de quo hic quærimus, quanam res possit esse illud minus extremum, siue de qua re possit scientia haberi.

Obiecti scientiæ diuisio.

Dico primò. De ente rationis, & puro nihilo non potest haberi scientia perfecta totalis, sed imperfecta tantum, & secundariò per reductionem ad ens reale; idèoque subiectum perfectum demonstrationis est solum ens reale: ens autem fictum potest esse subiectum demonstrationis imperfectæ.

Conclusio negativa bipars.

Ratio primæ partis est, quia subiectum scientiæ debet habere causas, & proprietates reales: scientia enim est cognitio rei per causam: sed ens fictum nullas habet causas, & proprietates reales, vt patet: ergo non potest haberi de eo perfecta scientia. Deinde scibilitas est proprietas entis realis, sicut intelligibilitas; & hoc apertè docet Philosophus 4. & 11. Metaph. cap. 1. & subscribunt communiter omnes Philosophi.

Pars 1. probatur.

Ratio secundæ partis est, quia entia rationis sæpe considerantur in scientiis vt in Logica, & Metaphysica. Deinde possunt de non ente multa certò cognosci, v.g. quod non ens nullas habeat reales proprietates, quod sit cognoscibile secundariò, quod non sit existens: ergo scientia partialis & imperfecta potest dari de non ente. Nomine autem scientiæ hic non intelligimus cognitionem rei per causam necessariam, sed quamlibet cognitionem discursiuam euidentem.

2. Pars probatur.

Dico secundò. Subiectum demonstrationis, & scientiæ non debet esse ens per se, sed dari potest scientia de ente per accidens, quod habet vnitatem aliquam ordinis: de aggregato autem per accidens materialiter sumpto non datur scientia. Quid & quotuplex sit ens per accidens in categoriis dictum est.

Conclusio negativa bipars.

Ratio primæ partis est, quia multæ scientiæ considerant ens per accidens, vt Medicina considerat animal, quatenus sanabile; Moralis hominem, quatenus capacem beatitudinis; Politica Rempublicam, Arithmetica numerum, Musica numerum sonorum: sed hæc omnia sunt entia per accidens ordinata: ergo ens per accidens ordinatum potest esse subiectum scientiæ.

Ratio primæ partis.

Ratio secundæ partis est, quia ens aggregatum per accidens sumptum materialiter, v.g. acervus lapidum, non habet vllas proprietates necessarias: ergo materialiter sumptum non est scibile. Materialiter, inquam, sumptum; nam sumptum formaliter potest habere veras proprietates, v.g. quod habeat multas essentias completas; & vt sic est aliquid scibile.

Secundæ partis ratio.